AUCTORITATE

ET SUB AUSPICIIS

AUGUSTISSIMI AC POTENTISSIMI PRINCIPIS

DOMINI

GUILIELMI II.

ELECTORIS ET LANDGRAVII HASSIAE REL.

AD

NOVI PRORECTORIS INAUGURATIONEM

DIE XII. SEPTEMBRIS A. MDCCCXXIV.

SOLENNI RITU CELEBRANDAM

OBSERVANTISSIME ET HUMANISSIME

INVITAT

PRORECTOR MAGISTRATU ABITURUS

ERNESTUS DANIEL AUGUSTUS BARTELS,

MEDICINAE DOCTOR ET PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS.

Praemittuntur observata quaedam de febre miliari idionosematica, et de petechiis citra typhum.

MARBURGI,

TYPIS ACAD. BAYRHOFFERI. MDCCCXXIV.

Observata quaedam de febre miliari idionosematica, et de petechiis citra typhum.

Ex quo tempore ars medica, ab originibus suis rerum observatarum indigesta mole scatens, paullo cultior fieri, et in partes pedetentim melius seperatas dispesci coepit: praecipuam ejus cultores curam in eo posuerunt, quod non solum bene describerent morbos, sed horum quoque formas, e symptomatum farragine potioribus quibusdam delectis, illustrarent, et ab invicem rite facileque distinguerent. Nec persistentes in eo, quaesiverunt deinde, quid constans et firmum, aut mutabile et varium sit in iisdem; quid suis ipsius causis internis, aut aliis forsan, aliunde repetendis, licet in eodem corpore animato degentibus, tribui debeat? hujuscemodi disquisitionibus, quae formae aegritudinum re vera sui generis morbi sint, quaeve potius accessoriae principalibus aliis se adnectant, enucleaturi.

Quod quum eo magis, quo difficilius erat, scrutantium ardorem excitaret: non solum in exercendae medicinae dicatis, sed etiam in proprie theoriam morborum spectantibus, scriptis invenire licet, quantum in tam ardua re profecerint doctorum virorum diligentia et sagacitas: praesertim autem in novissimorum seculorum iis operibus, quae Nosologiae systematice adornandae vacabant; siquidem hisce, ad numeros suos implendos, earum rationum indagatio utique erat necessaria. Et profecto, quantum ii, qui difficiles quasi nugas talia contemtui habuerunt, irriseruntque nosologicorum systematum auctores, veluti oleum et operam perdidissent, a vero afuerint, facile jam exinde perspici potest, quod morborum aptae divisiones, et cum hac diversitatis intime nexa, cognationis eorumdem adcurata dijudicatio, pro firmissimo medicinae fundamento procul dubio haberi deberet, etsi non omnes, id struendi, modi aut conatus aequa laude condonandae essent. Quemadmodum enim in variorum corporum, quibus naturae regna abundant, sic in morborum quoque cognitione, multo plus valet rerum ipsarum interior notitia, quam locupletissimi, at steriles, nominum indices.

Vix quidquam magis autem, e toto adversae valetudinis ambitu, medicorum attentione dignius visum est, quam multiplices cutanearum passionum illae formae, quae, corporis humani externae superficiei insidentes, ipsae quasi totidem corporum naturalium diversas species referunt; regni vegetabilis vilioris notae procreationi, aut animantium imi ordinis coetui, quem zoophyta noviores nuncupare solent, vix absimiles. Quarum igitur habitum externum sensibusque patentem varietatem, nec non cum ipsa indole arctius junctas causas, cognationes, et interiores differentias, explorare studuerunt; inprimisque ii, qui systematicae rationalique disciplinae operam navarunt. Nam species hi principales et genuinas efflorescentiarum, s. exanthematum, notis quibusdam certis definiendas, cum multifaria formae varietate, in plerisque obvia, comparare; deinde decursum brevem aut diuturnum, nec in eadem forma semper sibi similem, in censum vocare; denique vero rationem cujusvis formae ad reliquam corporis male adfecti conditionem perpendere, necessarium esse judicarunt: quum, quod ad hancce conditionem adtinet, vel per se stare possit exanthema aliquod, morbum

simpliciter cutaneum, integro paene reliquo organismo, referens; vel cum generaliore hujus adfectione morbosa intimum alere nexum: ipsum quidem duplicem, ita ut vel efflorescentia, inseparabilis a reliqua processus vitalis turbatione, cum hacce unum eandemque speciem efformet; vel tantum ad aliam morbi speciem, non semper ea stipatam, additamenti loco accedat.

Hujusce conditionis exanthemata quum recte *symptomatica* vocarent medici; perperam contra idiopathica opponere iisdem consueverunt, quibus sympathica potius respondent. Quare aptiorem distinctionem, licet vix ab ullo scriptore medico non neglectam, usurpaturi, *Ploucqueto* duce *idionosematica* *) appellabimus exanthemata, quae, ut supra jam monitum est, vel morbum cutis localem sistunt, vel saltem cum reliqua organismi mutatione morbosa essentialiter juncta incedunt.

Si vero aliquis crederet, quamlibet exanthematum formam semper et ubique vel ad unam, vel ad alteram earum classium pertinere debere, non levi errore is laboraret; nam teste experientia non desunt, quae in

*) Conf. *Ejusd.* Delineatio systematis nosologici, naturae accommodati, Tom. I. p. 35.

quibusdam casibus ipsae morbos, in aliis tantum accessoria ad hosce sistunt: pro ideonosematicis, si generatim considerantur, jure declarandae; ita tamen, ut quandoque nonnisi symptomatici mali dignitatem habeant. Quae memorabilis naturae earum ambiguitas, hucusque omni explicatione destituta, alibi uberius tractanda erit.

Nunc vero alia, empiricae magis indaginis, quaestio emergit, num in omnibus exanthematum speciebus ideonosematica vel symptomatica eorundem ratio jam satis extra dubitationis aleam posita sit? Si enim hoc observationum ope condendum fundamentum mendis et lacunis adhuc laboraret; quid ex ulterioribus, theoriae incrementa spectantibus, disceptationibus tum sperandum esset utilitatis? Neque penitus firmo se incedere solo, in hanc rem animum advertens facile intelliget, dummodo nonnullorum auctorum, de morbis cutaneis disserentium, opera veloci manu pervolverit. Quum autem nostrum hoc loco non sit, per omnes earum aegritudinum species haec prosequi; unam, pro spatii angustia, nobis eligamus, de qua multum usque in hoc dubitare solent; ut aliquanto certius de ea saltem judicium statui queat.

Igitur in *Exanthema miliare*, vulgare satis ac tritissimum, eoque magis sub istius incertitudinis titulo mirandum, inquiremus: non quod evincatur, an veteribus notum jam fuerit; quippe qui, etiamsi eorum purpura eadem res esset, ad nostrum tamen propositum nihil contribuerent; sed quod, observationibus propriis freti, eruamus, quidnam de idionosematica, vel merum forsan symptomatica hujus exanthematis ratione, aut si malueritis dignitate, habendum sit. Nec supervacaneam inutilemve esse quaestionem talem, jam inde concipi potest, quod a novissimorum auctorum gravissimo aliquo tam leviter illud tractatur, ut, e speciali morborum contemplatione relegatum, nonnisi generis sui morbos non sistentium efflorescentiarum populo, apud virum eruditissimum ac celeberrimum, adscriptum reperiamus *). Tanti vero nominis auctoritas, quum facile priorum observatorum, contraria afferentium, testimoniis omnem fidem derogare possit; novis observationibus recentem lucem rei affundere, eo magis opus est, quo minus a plerisque ipsum, ut ita dicamus,

*) Vid. *Sprengelii* Instit. medic. Tom. III. p. 504.; cf. pag. 501. 507.

punctum litis bene videatur esse comprehensum. Nec mirum, si doctrinae de miliaribus ortum et progressum rite perpendimus.

Postquam enim seculi XVII. medio eam efflorescentiam ut novum puerperarum morbum *Welschius* descripserat; amplior et accuratior ulteriorum observatorum scrutatio, id malum in puerperio obvium, utut novum sit, certe tamen sui generis non esse, probare haud difficile potuit; siquidem tam variis valetudinis adversae gradibus et modis junctum tunc incedebat, ut mulierculas, hisce potius malis re vera aegrotantes, cutaneam istam passionem quasi accidentalem tantum supervenire, satis esset manifestum; rarissimos autem casus in quibus extra notabilis febris alicujus connubium eadem apparuit, nimis calido cubantium regimini tribuere, vel ipsa experientia suaderet.

Huncce tramitem, ducibus *de Haen* et *White*, cui *Cullenus* quoque adsentitur, multi postea secuti; adversariis, arma gerentibus, contra hos ipsos tam facile reflectenda, victoriam cedere, minime fuerunt coacti. Quum enim hi partim puerperarum miliaribus, utplurimum a veris idionosematicis longissime remotis,

partim vero contagio nuptis praesertim insisterent, ut inde sententiam suam approbantia depromerent exempla, quod in *Burserii* quoque operibus *) deprehendere licet: validissima vel inde nascebatur suspicio, in contagiosis miliaribus non efflorescentiam, sed potius febrem varii generis contagiosam, verum sistere morbum; quod bene perpensum habuit cel. *Swediaur*, de miliari exanthemate hisce usus verbis: „Morbus utplurimum symptomaticus, praecipue ex regimine calido sudorifico ortus, *nunquam* contagiosus observatus fuit **).“ Neque alia, licet aliis verbis expressa, *Pinelii* est sententia ***); cui consentaneus, loco jam supra dicto, Ill. *Sprengel*

*) Instit. Medicinae pract. (Edit. Lips. 1787.). Vol. II. pag. 464 sqq. cf. p. 454 sqq. — Longe aliter *J. P. Frank* in Epitomes de curand. hom. morb. Lib. III. p. 141 sq.

**) Nov. Nosologiae methodicae systema; Vol. I. p. 172.

***) „Il serait inutile de retracer ici les symptômes des fievres primitives ou des phlegmasies qui peuvent compliquer l'èruption miliaire, et produire ce qu'Allioni a appelé *miliaire maligne*, miliaire qui se renouvelle (*miliaris recidiva*). Les symtômes généraux qui appartiennent à ces dernières complications peuvent être rapportés, en général, à ceux des fièvres ataxiques et à toutes les variétés dont l'éruption miliaire est susceptible pour sa forme, sa couleur, son étendue, sa délitescence.“ Nosographie philos. T. II. (6me edit.) p. 99.

ait: febrem, ad quam exanthema hoc accedit, haud sui generis esse, sed varias maxime febres eo stipatas incedere; dispositionem vero, ob teneram cutem, in feminis insignem, puerperas prae aliis obnoxias ei reddere.

Sed ut punctum illud quaestionis clarius emicet, opus est, generalem miliarium divisionem breviter perlustrare. Sunt igitur aut *febrilia*, aut *non febrilia*, eademque utplurimum diuturna s. *chronica*. Praeter haec vero, memoranda veniunt miliaria *symptomatica*, quae, si inertia non sunt, sed ad judicationem morbi notabiliter conferunt, *critica* vocantur; quin tamen, et extra crisin aegrum papularum istarum eruptionem aegrum saepe levare, infitias iri queat *). A symptomaticis quibuslibet autem contradistinguimus, quod supra jam propositum fuit, miliaria *idionosematica*; i. e. sui generis morbum, neque ab alio quocunque nosemate pendentem passionem, sistentia.

Jam vero, si ad chronicum exanthema respicimus, id vix non semper pro symptomatico erit declarandum;

*) Conf. quae Ill. *Sprengel* monet, l. c. p. 505 sq.

et caveamus, necesse est, ne subinde occultior et minus evidens mali, quod re vera subest, conditio in errorem nos inducat gravissimum: siquidem in hominum, laeto facici rubore, ac musculorum robore, gaudentium, apparente ceterum bona valetudine praeditis corporibus, miliaribus papulis obsitis, nihilominus tamen latet subinde rheumatica, imo arthritica, prolis istiusmodi genetrix, insidiosa labes *). Mere localem, atque tunc haud dubie idionosematicam efflorescentiam, miliaribus similem, sed probe ad iis distinguendam, persaepe sudamina, s. hidroa, exhibent.

Missis ergo miliaribus chronicis cum reliquis non febrilibus, in acutis et febrilibus tantum deprehendere, quod desideratur, spes superesset: de cujus paucitate vix dubitatio erit considerantibus, omnes eas febres antea detrahendas esse, quae modo cum miliari exanthemate, modo autem absque eo, stadia sua absolvunt. Namque de his cl. *Swediaur* loquitur, l. c. inquiens: *incerto morbi die cum sudore erumpunt*

---

*) Simile quid in memoratu digno eo quoque exemplo interfuisse videtur, quod affert *Matthaeus Collin*, in Diss. de miliaribus, rectaque his medendi ratione, (Vienn. 1763. 8.) p. 31.

papulae; quemadmodum etiam *de Haen* *) proposuerat, febris die 4. 7. 9. 11. 14. imo passim die quocunque non critico, stigmata s. maculas oriri, deinde mox in hemisphaeria pellucida elevata. Ac, licet hujus viri opinionum de miliaribus vivacissimus oppugnator, talem febrem *morbum miliarem primarium* esse, summopere contenderit **); nihilominus tamen symptomatum comparatione, *febres* istas continuas, etsi non *putridas*, saltem torpidioris generis nervosas fuisse, luculenter manifestantium, haud difficile contrarium probatur. Neque aliter sentiendum est de miliari exanthemate, in febribus epidemicis petechias excipiente, vel cum, vel sine aegrorum levamine; imo interdum in horum perni-

---

*) De febrium divisionibus tractat. Paris. 1764. p. 32. cf. Rat. medend. P. X. (ibid. 1775.) p. 397 sq.

**) *Matth. Collin* ad *Ern. Godofr. Baldinger* Epistola qua, demonstratur, pustulas miliares male a quibusdam medicis factitias et symptomaticas dici, (Vindob. 1764. 8.) p. 59 sq. — Ceterum notandum est, miliaria factitia perinde haberi in hac epistola cum symptomaticis, ac naturalibus et criticis opponi; minime vero idiopathicis, uti ab aliis auctoribus audiunt; ab illo sub primariorum nomine comprehensis. Criticum in morbis autem tam latum apud eundem habet ambitum, ut, quidquid levat, e. g. variolarum morbilleorumve eruptionem, eo referre, neutiquam dubitaverit.

eiem *). Ubi vero pneumonica affectio, citra aliam morbosam, non parum antea vexatum hominem, elicito copioso miliari exanthemate statim dimisit **): dubium magis videri possit, verane adfuerit pneumonia, ejusmodi crisi sublata; an potius miliaris, eandem illam tantummodo mentiens, morbus primarius?

Sed quid juvat, in hisce multisque similibus, aut ambiguis aut prorsus deviis, diutius commorari exemplis? proferenda in medium sunt potius miliaria, febrilia quidem, cumque ipsa febre et incipientia et decurrentia; attamen praeterea gravioribus symptomatibus, aliorsum referendis, haud stipata; multo etiam minus contagiosam febris suae naturam, quippe quae alius originis justam suspicionem moveret, exserentia ***).

At enimvero id, de quo nunc agitur, fore ejusmodi exanthema, infitias non iturus: ingenue fateri tamen debeo, me, per duo decennia ad aegrotantium lectulos jam frequenter satis adgressum, inter innumeros paene casus ne unius quidem meminisse, quem talem

*) Cf. *Pinel* l. c. p. 96.

**) Ibid. p. 97.

***) Quod optime exponit *Frankius* l. c. p. 141.

fuisse, qui quaeritur, merito possim laudare; quum e sexcentis eatenus praedicandus exstiterit nullus, qui, miliare exanthema sui generis si praebuisse, sponte quasi declararet. Quid mirum igitur, si, nusquam gentium id inveniri, tot tantisque auctoritatibus propriae adjicientem experientiae fallacem speciem, vana me detinuisset opinio? Nihilominus tamen, etiam hic conclusiones generales ex observationibus particularibus satis tuto derivari non posse; vel tunc ipsum, bene monente *Pinelio*, si harum ceterum abundans ad manus sit copia: post quatuor lustra, in exercenda medicina peracta, casus quosdam rarissimos observandi inopinata, et quasi fugax, occasio me in hanc rem semper attentum edocuit.

Mense Januario anni 1822. demum exempla duo *miliarium febrilium idionosematicorum* in conspectum mihi venerunt, ambo in puellis, quarum altera XIVtum, altera XIImum, aetatis suae tunc vixit annum; haecce quidem corpore praedita graciliore, debiliore et minus plethorico, neque tamen minus bene ceterum antea valens, postquam prioris anni autumno vermes intestinales complures secesserunt. Eademque versus finem,

illa jam medio, istius mensis morbo correpta fuit: quin tamen ullum inter utramque fuerit commercium; vel ipsis earum habitaculis sat longe ab invicem remotis.

Frequente horripilatione, in robustiore, quam febris deinde validior, urgebat, etiam vomituritionibus, aliquot diebus praegressis; cum calore sicco, pulsu concitato et modice pleno, quibus in majore dolor quoque capitis vehemens, gravativus adjungebatur, numerosae papulae rubrae nascebantur, per totam paena corporis superficiem, nedum facie ipsa excepta, quippe quae in regione frontis, sicuti in genis, earum sat magna copia obsita erat. Confertim tamen maxime in extremitatibus, primo inferioribus, deinde etiam superioribus, granum milii vel acus caput magnitudine referentes, papulae istae pullulabant: quare perpetuum non esse, ejusmodi exanthema pectus potissimum obsidere, et difficultatem respirationis cum tussi ciere, non possum quin moneam. Etenim angebantur quidem nostrae quoque aegrotantes; non magis tamen, quam pro ratione febris, caloris, et cutis affectionis fieri utique debuit.

Quamquam vero tum, ob rei praesentis novitatem, scarlatinam miliarem adesse, conjicere potuissem; distin-

ctior tamen cutis albedo, rubrarum papularum interstitia tenens, simul cum deglutitione, adfectu nullo inflammatorio impedita, ejusmodi opinione ulterius me duci non sinuerunt. Neque scarlatina, vel glabra vel papulosa, intra moenia nostra eadem hieme ullibi exstitit; licet aliquanto post, verno quidem tempore, hinc inde emergeret, autumno proximo haud parum grassatura. A contagii autem suspicione omnis nostrum illud exanthema tantum abfuit, ut in sat multis alterius puellae consanguineis ne ullum quidem infectionis vestigium appareret.

Igitur, quum per nychtemera bina aegrotantes illae satis papularum pruritu, et sanguinis motu caloreque aucto, deliriis vero nullis, vexatae, sommoque valde inquieto vix levatae essent; sudoribus, quod probe notandum est, nonnisi parcis in quibusdam locis, praesertim capite, fugaciter erumpentibus; hi demum per omnem relaxatam cutem large profluerunt, haud dubie ipsum exanthema praecipue judicantes *); quippe quod

*) In quo, aliisque multis, longissime distat noster a morbo miliari simplicissimo s. d., quem *Allionius* descripsit: vid. *Abhandl. vom Friesel, nach der 2ten Originalausg. übers.* Winterthur 1794.

absque notabili desquamatione, triduo postquam effloruit, evanuerat; nec diutius morante febre.

Restitit, praeter lassitudinem, levis tantum concoctionis turbatio cum ructibus acidulis; qualia in ipsum quoque morbi brevissimi decursum inciderunt symptomata; quin tamen febrem gastricam ex iis divinare aliquis potuerit. Major natu alvum quidem obstipatam habuit, quam contra minor regulariter reddidit; urinae etiam habitus a sano parum diversus fuit.

De curationis negotio, neutiquam difficili; addere vix opus est, quod, praeter refrigerii aliarumque noxarum evitationem, nonnisi in adhibendis diaphoreticis et refrigerantibus levioribus quibusdam id constiterit; e quorum numero erant Spiritus Mindereri et Kali carbonicum.

Qui vero hujus exanthematis causas ex me quaerere velint; nullas detegi potuisse, ingenue profitenti indulgeant. Singularis quidem aëris tunc observabatur conditio; quum tempestatem sero autumno serenam et satis frigidam insecuta esset hiems mitissima, e tepido

p. 53 sq.; ut taceamus, quem pro larvato venditare vult, ibid. p. 76 sq.

solo flores insolitos ipso Januario isto eliciens. Ast sporadica *) erant miliarium ea, quae supra exposita sunt, exempla.

Quemadmodum autem in hisce casibus efflorescentia, vel si placet febris, miliaris idionosematica fuit, itidemque primaria; sic persuasum est nobis, quae excepisse peticulas, aut ab hisce exceptas fuisse, narrantur passim a scriptoribus medicis miliaria, omnia ad symptomatica esse releganda. Neque adhuc nobis contigit, petechiarum *febrilium* sui generis, quamquam de earum existentia non dubitaverimus, praeter typhum communem observandarum ulla occasio; sed tantum sine febre incedentium historiolam; infra subjungendam, habemus. Antea vere aliam, symptomaticae quidem indolis peticulas spectantem, breviter exponere liceat; nostris diebus, quibus citra typhum contagiosum corpora iis rarissime tantum maculantur, memoratu haud penitus indignam.

Igitur autumno ejusdem anni, quum scarlatina et morbilli (bis tunc temporis in iisdem corporibus simul

*) Cf. *Frankius* l. c. p. 131.

observata in Clinico nostro), atque eorum quasi satellites rubeolae et pertussis, longe lateque hic locorum vagarentur; vidua 52. annos nata, quae proxima hieme erythemate faciei laboraverat, et vere fluxum menstruum post anni cessationem denuo perpessa erat, morbilloso contagio sic infestabatur, ut postridie a febris invasione maculae legitimae nonnisi in brachiis conspicuae essent, quum faciem contra erysipelas obsideret pustulosum, cujus vesiculae post quinque dierum spatium exsiccabantur; quo tempore demum morbilli per reliquam quoque corporis superficiem conspici poterant, post aliquot dies, epidermide non manifeste decidente, evanescentes. At, paucis diebus interpositis, necdum erysipelatis faciei desquamatione penitus finita, hinc inde per corporis superficiem aliae maculae, rariores, rotundiores (non angulosae), paullo majores, ne minimum quidem elevatae, ac ruboris minus opaci *), sese oculis praebebant, quas *petechias secundarias* fuisse, vix erit qui neget. Quae quum, dimidia septimana decursa, nullum vestigium relinquentes abirent; pro

*) Cf. *Frankius* l. c. p. 117.

terminata haberi poterat tota ista morbillosa aegritudo, non minus composita, quam irregularis; nec nisi menorrhagiae debilitantes accessiones mulierem amplius male habebant.

Ceterum liquet, petechias hasce secundarias symptomaticae tantum indolis fuisse; neque praeterea, quas pro criticis saepe venditarunt auctores *), ad typhi contagiosi benignioris et regularioris decursum referendas esse secundum egregiam, quam cel. *ab Hildenbrand* debemus, ejusdem morbi delineationem, in dubiam poterit vocari. Quas vero praeter *Burserium* **), et *P. Frankius* ***) aliique se vidisse affirmant, petechias apyretas, ante hunc annum conspicere mihi non contigerat, licet isto morbo febrili, quovis modo ac stadio junctas, observandi frequentissima mihi fuerit occasio. Quin imo nuper elapsa aestate versabamur in observando et curando typho communi indole sua mitissimo, et per hoc ei, quem ante decennium in militibus, contagio prehensis multisque aliis hominibus tractaveramus,

*) Cf. et *Matth. Collin* Epist. supr. laud. p. 79. 59.

**) l. c. p. 334. 339.

***) l. c. p. 114.

valde opposito. Hic enim, in suburbano orphanotrophio ortus, indeque ulterius per civitatem nostram propagatus, contra consuetudinem infantes maxime corripuit, postea tamen accidentaliter quasi, adolescentes etiam, provectioresque adoriens; febris catarrhalis, vel synochi, ut ajunt, levioris speciem, in prioribus praesertim, atque ab initio totius temporis, usurpatus, malignitatem aliquam nonnisi cum aliorum affectuum malo auxilio efferens; peticulis tamen scatens, ruboris initio illo saepius, deinde rarius, laeti, plerumque tunc opacioris et subviolacei, raro prorsus lividis, aliquot dies post febris invasionem efflorescentibus, in quibusdam paullulum super cutem elevatis, magis minusve persistentibus, in alterum vero septenarium fere protractis, nonnunquam desquamatione aliqua subtilissima, per hancce vel illam, tum magis scabram, corporis superficiei plagam, terminatis *). Gravi autem moerore nos adfecit praematura mors optimi et diligentissimi juvenis, *Jo. Conr. Zuschlag*, Dagobertohusani, quem

*) Nullam unquam earum desquamationem sibi in conspectum venisse ait Cel. *Frank* l. c. p. 118. cf. p. 114.

e pluribus Clinici nostri sociis, contagio eo correptis, morbus, jam ab initio irregularis ac nervosus, nobis eripuit.

Non parum contra mirati sumus, quum proximo mense Julio clinico nostro concessui se offerret adolescens, 18. annos natus, corporis inter quotidianam exercitationem sat robusti, neque aliud quidquam conquestus nisi ingratam artuum tensionem, doloremque modicum in regione coli transversi; numerosis tamen petechiis coloris subviolacei in extremitatibus, rarioribus in trunco, praeditus; quae in cruribus, praeviis eorum dolore et nucis juglandis magnitudinem aequantibus tumoribus lymphaticis, primo apparuerant. Versus diem septimam post eruptionem dolorifica ista extremitatum inferiorum affectio augebatur, mox tamen sese demisit; rubore macularum in quibusdam locis cutem aliquantulum supereminentium, circa diem nonam sub usu acidi muriatici interno, aliquanto vivaciore facto; quae inde a die undecima, circa pedum malleolos et in brachiis antea magis confertae et concentratae, sine desquamatione sensim evanuerunt; ita tamen, ut novissimis istis diebus intermixtae essent aliis lividioribus,

coloris subviridis, majoribus, et quodammodo magis diffusis. Pulsus semper fuit regularis. Ceterum in hocce casu potius miasma aliquod, quam contagium subfuisse, conjiceres; siquidem juvenis ille, ad domicilium et cubile suum in pago vicino, a typhi virulentia libero, quovis vespere se recipiens, mane ad laborem, in suburbio sub divo peragendum, rediit; toto die ab infectorum corporum contactu et exhalationibus satis remotus.

Deinde etiam in pluribus, praesertim vero ex iis, qui typho laborantibus auxilio medico diligenter adfuerunt, peticulas sine febre, magis fugaciter tamen, et nonnisi sparsim, cutem variantes, ea ipsa aestate observare licuit.

Sed quum argumento nostro, affini desuper tot aliis, uberius hic tractando, non sufficiat spatium: alio loco plura, inque his praecipue theoretica omnia, reservanti, jam eae res nostrae academicae, quibus haec praemittebantur, commemorandae restant: quippe qui in eo sim, ut magistratum academicum, in annum mihi commissum, deponam.

In quo muneris mei decursu nostrae Musarum sedi, cui variae ceterum sortes ceciderunt, gratissima fuit Augustissimi Principis Electoris, cujus vitam ad ultimum terminum divina providentia producat, clementia haud mutata: eo signo praecipue conspicua, quod filio dilectissimo, Celsissimo Principi Electorali, splendore suo urbem nostram ornanti, aedificia illa spatiosa, quae Ipsius domicilium novissime fuerunt, scholis et collectionibus, ad rem medicam et physicam spectantibus, usque eo aut minus bene aut plane non collocatis, benignissimi concedere permisit.

Additamenta salarii clementissime tributa sunt tribus Professoribus clarissimis: Viro summe venerabili Dri. *Sartorio* et Viro consultissimo Dri. *Jordan*, qui ambo ab exteris vocati; nostram tamen Musarum sedem alienis praeoptaverunt; nec non Viro consultissimo Dri. *Endemann*, qui simul Professoris jurisscientiae et Assessoris Ordinis Jureconsultorum ordinarii munus obtinuit. Vir experientissimus et doctissimus *Frid. Adolph. Rube* artem medicam privatim docentium numero accessit.

Magistri artis saltandi locum explevit *Jul. Wimèz*,

et Magistri artis delineandi provinciam *Christian. Holland* nactus est.

Ceterum valde augendarum rerum suarum initia felicissima fecerunt Instituta plura academica; imprimis vero et theatrum anatomicum et artem veterinariam, artemque medicam universam spectantes, scholae.

Civium academicorum numerus quovis semestri auctus fuit.

Verum enimvero exoptatis iis et gratis luctus quoque se intermiscuit. Nam Vir Illustrissimus ac Generosissimus, *Georgius de Schmerfeld*, cui hujus Academiae cura mandata fuit, et ipsi ingenio et eruditione pollenti, ex intimo Augustissimi Electoris consilio morte abreptus est. Ac paulo post eadem e gremio nostro sustulit virum celeberrimum, atque de oeconomia politica et zoologia meritissimum, *Blasium Merrem*, Philos. P. P. O. et Augustissimo Electori ab aulae consiliis. Cujus locum in habendis scholis de animalium historia naturali tenere, nuperrime jussus est Vir clarissimus et experientissimus *J. M. D. Herold*, Medicinae Professor ordinarius, Instituti zoologici abhinc Director.

Vita etiam defunctus est hac aestate Calligraphiae Magister, artis suae peritissimus *Harttrodt.*

Attamen acerbis supra memoratis contristatam academiam verno jam tempore eximium aeque ac rarum recreaverat gaudium. Mense enim eo, qui Florae ornamentis prae omnibus decorus incedit, laetissimum et auspicatissimum diem celebravimus, quo Academiae nostrae Senior meritissimus, *M. Joannes Bering*, Augustissimo Electori ab aulae consiliis, Logices et Metaphysices Professor ordinarius, et Acad. Bibliothecarius, ante hos quinquaginta annos ad munus academicum inauguratus fuit. Majorque iis solennibus inde affluxit splendor, quod equitis Ordinis aurei leonis insignia PRINCEPS NOSTER LONGE CLEMENTISSIMUS venerando seni condonaverat.

Jam vero, quum hodie inaugurandus sit novus academiae Prorector, actui solenni ut interesse velint CELSISSIMUS PRINCEPS ELECTORALIS, *magnificus ac perillustris Pro-Cancellarius, Professores et Doctores venerandi, consultissimi, experientissimi, excellentissimi, Cives Academiae generosissimi et praenobilissimi, Academiae demum bonarumque artium fau-*

tores et cultores omnium ordinum, honoratissimi observantissime et humanissime oro rogoque.

Dabam Marburgi d. XII. Septembris A. R. S. MDCCCXXIV.